



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Philomathi Mvsae Ivveniles**

**Alexander <VII., Papst>**

**Coloniae Vbiorum [i. e. Amsterdam?], 1645**

LI. De Sacello Gvidonis Nolfii Fanensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12750**

## L I.

DE SACELLO GUIDONIS  
NOLFII FANENSIS.

In gratiam D. Iosephi Constantii, Canon, Regi  
S. Salvatoris.

*C*ivem clara tuum suscipe Iulia  
*Vrbs, ô quæ Adriaci littora Nerei*  
*Servas, atque Metaurum,*  
*Pæno sanguine nobilem,*  
*Ne frustra veteres concine glorias,*  
*Ne votiva deæ fana volubilis ;*  
*Major vel manet uno*  
*Laus te cive beator.*  
*Sunt, qui perpetuo tempora nomine*  
*Evicisse putant, lata decempedis*  
*Queis metata renident*  
*Multi marmoris atria,*  
*Non hunc luxus habet, non domus aurea;*  
*Non aulæ niteat Purpura posteris,*  
*Non innixa columnis*  
*Ingens porticus Africis.*  
*Stat, delubra Deo molibus arduis*  
*Regalique manu ornare, Quiritibus*  
*Qua sublime sacellum*  
*Inscriptum superis manet.*  
*Amphion patriæ mœnia cantibus*  
*Struxisse Ogygiæ fertur, ut addito*

Sensu

*Sensu ad jussa veniret  
 Cautes, accola montium.  
 Non hîc vana fides. hi citharas vocant,  
 Et plectrum lapides, æmula cœlitum ut  
 Reddant cantica vates,  
 Et gratum resonet melos.  
 Hi flammæ gelidis mentibus ingerunt,  
 Vt sacris superent cœrula amoribus,  
 Ceu collisa favillas  
 Ictu dat chalybis filex;  
 Hi percussi oculis, vi tacita sinus  
 Irrumpunt aditus, igniculos creant,  
 Exstinctisque redonant  
 Sensus pectoribus pios.  
 Nec mirum; pietas namque operi manus  
 Admovit teneras; saxaque sedibus  
 Hinc Eoa relictis  
 Gestant artificis notam:  
 Hinc spirat pietas vivida marmori,  
 Aurumque, & tabulæ, & signa decentia:  
 Hac se providus urbi  
 Cerni donat imagine  
 Felix ad superos dum properat senex:  
 Multo nobilius cui tamen intimo  
 Templum corde reponit  
 Candens Relligio, & fides.*